



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Nicolai Cavssini Trecensis E Societate Iesv, De Eloqventia  
Sacra Et Hvmana**

**Caussin, Nicolas**

**Coloniae Agrippinae, 1626**

Diuisio huius loci secundum rem, & varia genera enumerationis. Capvt  
XXVIII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68724](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68724)

Vide Cic.  
in part. &  
ratio de  
orat. sect.  
19. & 51. in  
Orato. 214.

Partium e-  
numeratio  
vero omnia  
sumonis.

modo ad rem dignoscendam, sed etiam vberiori stylo pertexendam, non mediocre conferat adiumentum. Est autem rei in singulas partes, apta quadam distributio. Partes apud Ciceroem (ne ad Logicorum testimonia recurramus) duobus modis intelliguntur. Sunt enim partes totius, quod in se easdem partes complectitur, ut corpus, humeros, brachia, thoracem, sunt & partes generis, quas genus sub se continet, alio modo species, & formae nominantur, & prudentia, iustitia, fortitudo, ratione virtutis. Vel si maius, aliae partes sunt essentia, aliae sunt integrantes, & accedunt magis ad decus totius, quam ad compositionem. Ex hac distinctione partium in tractandis rebus dignitas, & decor, tum quod maxime est in oratione momenti, claritas affusa consurgit, ut hunc locum iure totius sermonis oeconomiam possis appellare. Ac quemadmodum in confuso corpore, ubi (quod aiunt) neque pes, neque caput, omnia foede permixta, & monstrosa sunt: Sic etiam ubi nulla ab oratore instituitur concinna partium distributio, fluctuare, & immensis quibusdam tenebris circumfundi orationem necesse est. Hoc in maiori mundo, hoc etiam in minori, Dei conditoris sapientia solertissime providit, in quibus tanta, tam varia, tam prudens singularum partium distributio, non modo ad suas cuique functiones eximiam scilicet celeritatem, sed decet praeterea, atque elegantiam impertitur.

Divisio huius loci secundum rem, & varia genera enumerationis.

CAPVT XXVIII.

Quanta est partium diversitas, tanta quoque consurgit loci varietas. Ut igitur partium, aliae sunt essentiae: quae genera, species, differentiaeque spectant. Aliae accedunt, quae ad proprium, accidensque Logicorum referuntur. Sic diversa quoque, & in quinque partes ad summum distributa nascuntur argumenta, quae inter se, & dignitate differunt, & robore.

Cicero l. 1. offic.

Prastantiora enim sunt, & validiora, quae essentiam spectant, quam quae extrinseca tantum, & adscititia sunt. Essentialis haec est partium enumeratio sumpta a partibus generis. Sed omnia, quod honestum est, ad, quatuor partium oris. ut ex n. 194. Aut enim

in perspicientia veri, solertiaque versatur: Aut in hominum societate tuenda, tribuendoque suo cuique, & rerum contractarum fide: Aut in animi excelsi, atque inuicti magnitudine, ac robore: Aut in omnium, quae fiunt, quaeque dicuntur ordine, & modo: in quo inest modestia, & temperantia. Ex quo ita liceat concludere, si virtus est, aut prudentia est, aut iustitia, aut fortitudo, aut temperantia. Alia sumitur a partibus intrinsicis, & essentiam rei componentibus, quales sunt in homine corpus, & anima rationis particeps, ex quo recte inferas eum non esse hominem, qui sine corpore, siue anima fuerit destitutus. Et haec quidem argumenta robustissime conuincunt. Alia quae appositivae complectuntur potestates, & accidentia, minus quidem habent ponderis, valent tamen ad ornatam amplificationem, orationisque circumductam amplitudinem, tum coniuncta vim obtinent, quoque magis propria sunt illius rei, cui tribuuntur, eo difficilius eleuantur. Ad hoc genus pertinent, quae habet Arnobius lib. 3. aduersus gentes.

Arnob. l. 3.

(Sed ut enim ad usus certos manus, pedes, oculi, ceteraque constructio membrorum, sua quaeque in officia constituta est. Ita conuenit credere in sui muneris functionem has esse partes comparatas: aut confitendum est in Deorum corporibus esse aliquid vacuum, quod sit frustra, & inaniter fabricatum. Quid dicitis o sancti, atque impolluti Pontifices religionum: Habent ergo Diis sexus, & genitalium membrorum circumferunt foeditates, quas ex oribus verecundis infame est iuis appellacionibus promere.) Ita irridet Ethnicos, qui corpoream faciunt diuinitatem, singulas corporum partes, colligens etiam viles, & obscenas, ut hanc corporis fabricam a diuina natura alienam esse ostendat.

Divisio secundum modum, & varia argumentationum ab enumeratione partium genera.

CAPVT XXIX.

Haec prima enumerationis partium diuisio secundum rem, alia secundum rei modum consurgit, & ea triplex est. Vna cum

X 3.

Primus modus affirm.